

tag. thes. LXXX. p. 84. Sed id in quæstione est, an tales Agapæ ibi fu-
erint? Et si fuissent, de iis tamen hoc δειπνον intelligi non posset, ut-
pote quod peregrinantium fuisset. Hoc autem Paulino fruebantur
Christiani in uno eodemque loco commorantes. Nos igitur per
Cenam Dominicam intelligimus ipsum *sacramentum Altaris*. Ratio
Prima, quia Apostolus Epulum Dominicum, quo Corinthi abusi e-
rant, applicat v. 23. per vocem γὰρ ad ipsam Eucharistiam. Secunda,
quia Corinthii indigne manducando & bibendo rei erant facti corporis
& sanguinis Christi, ergo manducarant ipsum Corpus Christi, quod
fit in S. Cœna. Tertia, quia communibus epulis contradistinguitur,
& ab his ita discerni debet, ut cognoscatur, hunc Cibum esse Corpus
Christi. Quarta, quia Antiquitas consentit: vid. D. Dannhaueri Ho-
dos. phœn. p. 1127.

§. 3. Spectat huc quoque adjecta phrasis: *Convenire in unum, id-
que ad manducandum*. Prius primario ratione Coetus (v. 18, enim
redditur per *convenire in Ecclesiam*) secundario ratione domus com-
munis, in qua Sacra fiebant, est intelligendum.. Ab ascensu enim
Christi in coelos coeptum erat in uno ad sacra facienda conveniri loco
Act. 20, 8. quin etiam mutuo ad tempus cohabitari Act. 1, 13. quomo-
do ædes possessione erant privatae, usu communes. Quo aliqui &
referunt ὑπερώϊον illud, seu coenaculum Troade ab aliis distinctum,
& lampadibus illuminatum, eo quod in illo Paulus in multam præ-
dicaret noctem. Act. 20, 8. Ita etiam Hierosolymis conventus Apo-
stolicæ Ecclesiæ tunc erat in domo, cum in Festo Pentecostes Spiritus
S. in eam visibiliter effundebatur Act. 2, 2. Fr. Ul. 2. Calixti Lucubr. in
Act. Apost. p. 7. Qui tamen conventus neminem implicatum tene-
bat, quo minus templum ipsum invisere, atque omni communioni
cohabitare potuerit. Quod quotidie fiebat Act. 2, 46. e. gr. ad horam
orationis nonam Act. 3, 1. Ita enim Credentes Judæi reverentiam ex-
hibebant legi & Templo, dum staret, Poli Syn. Crit. in h. l. & cavebant,
ne Separatismus ab Ecclesia Judaica prius fieret, quam Ecclesia Apo-
stolica ab ipsa expelleretur, & ipse cultus Judæorum divinus & exter-
nus abrogaretur, inquit Celeberr. D. Spenerus part. 2. seiner Theol.
Bedent. Art. VI. Sect. 24. p. 275. Eundem ergo ad sacra subeunda
conveniendi morem Corinthii quoque tenebant. Neque id sine ra-
tione. Notum quippe eis fuisse, quis dubitet, Deum publicum sui
cultum